

Bibliothèque numérique

medic@

Reisinger, J.. [Notice sur Joannis N. Schuster]

S.l., s.n., 1838.

Cote : 90945



(c) Bibliothèque interuniversitaire de médecine (Paris)

Adresse permanente : <http://www.bium.univ-paris5.fr/hist/med/medica/cote?90945x13x12>

qua Joannis N. Schuster condam chemiae
prof. p. o. fac. med. prosenioris et r. sc.
universitatis h. rectoris emeriti memori-
am recolit J. Reisinger prof. hist. nat. sp.
p. o. i. fac. medicae prosenior et r. sc. uni-
versitatis h. rector emeritus die 4ta maji 1838.

Ubivis locorum, ubi scientiae artesque liberales flo-
rent, viguit, et hodieum viget consuetudo, viro-
rum, qui de patria sua quocunque demum modo bene meriti
fuerunt, postquam fatis succubuerunt, biographiam po-
steris tradendi, quo manibus illorum ultimum deferatur
gratitudinis, et positorum meritorum recognitionis testi-
monium, quove posteri ad facinorum praeclare gestorum
imitationem efficaciter incitentur, et perducantur.

Haec consuetudo laude omnino digna, a prisco at-
henaei hujus senatu academico consilio optimo recepta,
et longa annorum serie usu roborata, urget memoriam
illorum doctorum regiae hujus scientiarum universitatis,
qui, seu facundia et claritate in docendo, seu editis eruditis
operibus inclaruerunt, post obitum dictione publica recolere.

Provinciae historiam vitae anno proxime evoluta ere-
pti pro dolor! e gremio doctorum regiae scientiarum
universitatis hujus Joannis Nepomuceni Schus-
ter chemiae condam professoris publici et ordinarii
succinctam proponendi, moesta non minus quam ardua
mihi obtigit; moestam hanc esse provinciam, arbitror
esse neminem qui dubitaret, nam acerba recordatio ja-
cturae viri de literis, et hoc ipso universa patria optime
meriti, pectori nostro obitu illius illatum vulnus reno-
vat, caducitatem omnis sortis humanae in memoriam re-
vocat; arduam autem esse mihi delatam parentandi pro-
vinciam ex eo sequitur: quod tot, tantaque sint denati
in rempublicam durante actuoso vitae suae curriculo posita
merita, ut iisdem condigne exponendis me imparem esse



candide fateri debeam, cum desiderata in oratore verborum copia et elegantia gloriari non possim.

Tulimus jam saepius acerbo ab eo retro tempore, ex quo regia haec scientiarum universitas augustorum munificentia praesentem in splendorem et amplitudinem est eversa; virorum eruditione multiplex inclytorum, vix tamen ulla tam communem in nobis excitavit luctum, quam dum nuper Joannes Nepomucenus Schuster, cui hodie parentando justa persolvimus, vivere desiit. Obitus illius non modo nostros commovit animos, sed etiam multorum ambarum urbium incolarum, qui suam cum nostra sociarunt moestitiam, quod taciti praesentia sua abunde contestantur; ob quam singularem, raramque animorum concordiam, adducor auditores O. O. lectissimi ut credam: Joannem Nepomucenum Schuster ab auctore naturae in commodam multorum hominum hunc in orbem fuisse datum, hanc in spem adolevisse, et consenuisse, quod vita ejus vel strictim excussa abunde comprobabit.

Joannes Nepomucenus Schuster cujus effigiem coram intuemur, primam aspexit lucem 5 - Ecclesiis in comitatu baranyensi anno 1777 mensis maji die quarta, parentes illius nec opibus, nec natalium splendore fuerunt conspicui, talia tamen illorum domestica fuerunt adjuncta, ut domi liberalem, ingenuamque filio suo optimae spei dare potuerint educationem, qui studia grammatica et humaniora, item philosophica anno 1792 et 1793, juridica 1794 et 1795 in natali absolvit solo, medicis autem studiis ab anno 1796 usque 1800 Pesthini incubuit, durante studiorum suorum medicorum cursu, ad merenda sibi vitae media, eo non obstante, tam praeclara diligentiae, profectus sui in literis et morum probitatis dedit specimina; ut 1ma septembris anni 1800 ab inclyta facultate medica pro stipendio graduali propositus fuerit, quod etiam obtinuit, inopia itaque illum non pessumdedit, sed ad virtutem accendit. 1802 10ma

februarii officio assistentis stabilis professoris chemiae admotus fuit, martii vero 16 die ejusdem anni in saluberrimae medicinae doctorem promotus exstitit. Cum officio suo assistentis chemiae praeclare fungeretur, jam anno proximo 1803 pro augmento salarii 100 florenorum per I. facultatem medicam proponi meruit, quod etiam anno eodem consequutus est. Ab hoc tempore totus in cultum literarum vixit, eo successu, ut jam anno 1804 opus celeberrimi condami ad regiam hanc scientiarum universitatem professoris chemiae, Roscii ut ajunt in arte magistri, Jacobi Josephi Winterl, quo tanquam praecipuo suo ornameto regia haec scientiarum universitas coram universo orbe literario jure optimo superbiebat, germanice verterit et in lucem publicam dimiserit, sub: titulo Jacob Joseph Winterl's Darstellung der 4 Bestandtheile der anorganischen Natur. aus dem lateinischen übersezt von Johann Nep. Schuster. Jena bei Fridrich Hoffmann.

Anno 1805 accepta altissimo loco venia, iter in Germaniam suscepit, cum noverit ex hoc musarum domicilio lumen scientiarum in omnes orbis partes diffundi. In urbibus, in quibus vastas bibliothecas, musea multum locupletata, aliaque instituta literaria ampla et bene organisata reperit, aut in quibus viri eruditionis fama illustres legerunt, non dies, sed menses transegit, quo institutorum exterorum spiritum, celeberrimorum chemiorum in corporum instituenda analysi et synthesisi dexteritatem, praeceptorum in docendo subtilem methodum ac in agendo prudentiam plene cognosceret. Plurimum tamen Berolini moras egit, ubi plures in chemia heroes illo tempore vixerunt, qui mirum in modum lumen in chemia sparserunt. Inter illos maxime eminebat Klaproth, qui novorum elementorum detectione, et mira sua in analysibus chemicis perficiendis dexteritate et certitudine totius Europae cultae attentionem et admirationem in se convertit, in hac urbe cum multis innotuit

I *

eruditis, cum quibus deinceps commercium fovebat literarium, qui raras Joannis Nepomucei Schuster cognitiones tanti fecerunt, ut illas anno 1836 toto pectore laudari ipse Berolini audiverim.

E Germania, ubi integrum transegit annum, ampla rerum cognitione sibi comparata in patriam redux, anno 1806 maji 27. post fata Josephi Mulser in correpetitorem pharmaceutarum constitutus est, in sequente anno 1807 edidit opus, sub titulo: *System der dualistischen Chemie des Professors Joseph Jacob Winterl. Berlin.* in tomis duobus. Munere correpetitoris pharmaceutarum fungebatur usque 16. septembris anni 1808, qua in locum cessantis correpetitionis cursus pharmaciae publicus inductus fuit. Eodem anno typis vulgavit manuale candidatis medicinae et pharmaciae utilissimum sub titulo: *Terminologia botanica.* [Budae typis regiae scientiarum universitatis hungaricae; hocce anno 26. septembris denominatus est in sequelam recursus ad lyceum claudiopolitanum professor chemiae, mineralogiae et metallurgiae, 20 vero decembris in sequelam concursus 1ma augusti celebrati, ad literarum universitatem hungaricam professor historiae naturalis specialis p. o. cui stationi 9 februarii anni 1809 admotus est. Cum Winterlius hocce tempore in morbum incideret lethalem, cui 18 novembris succubuit, chemiam quoque et botanicam supplens publice docuit, novaeque musei rerum naturalium dislocationi atque in catalogum redactioni operam dedit; docuit ille ab hoc tempore studia, quae universam comprehendunt naturam, intelligo zoologiam, botanicam, mineralogiam et chemiam, quarum una illustrat et promovet aliam. Dum plene convictus esset, quod observationi obsectorum et phoenomenorum naturae scientiarum incunabula et progressus adtribui debeant. Entia omnium trium naturae regnorum; animalia videlicet vegetabilia et mineralia observavit, pervestigavit, studuit, qua entium naturae contemplatione et studio, memoriam suam, quam a natura eximiam

admirandamque nactus est, continuato exercitio, adeo perfectus; ut quae videret, audiret vel legeret, memoria constanter retineret, evenit hinc: ut entium naturae innumerabilium omnis generis non modo animalium et vegetabilium terrestrium non minus quam aquaticorum, sed etiam mineralium tam illorum, quae in patentissima telluris superficie externa sparsa sunt, quam illorum, quae in profundissimis terrae visceribus hospitantur, sibi compararet cognitionem.

Sic mens Joannis Nepomuceni Schuster, quam fragili corporis hospitio circumgestavit, studiis diuturnis magis et magis exulta, sese quotidie attolebat altius, ut maximarum rerum evaserit caput, omnigenisque eminuerit cognitionibus, quas in longum latumque disseminavit, cum uberrimo redundante et ultro redundaturo fructu. Joannes Nepomucenus Schuster facem ardoris et zeli percolendarum scientiarum naturae, quae ante illum in cunis jacebant, in patria nostra primus accendit, non amplius quod firmiter spero, exstincturam. Novit ille multa naturae mysteria explicare, dilucidare, novit multa naturae phaenomena, quae superstitio aut ignorantia pro extraordinariis habuit eventibus, correlatione inter causas et phaenomena vigente, definita, tanquam eventus naturales explicare. Nullum objectum in amplissimo naturae theatro superfluum aut inutile esse, jure contendit, et ideo cum doctissimo Galliarum Linneo Georgio Friderico Cuvier anatomiae comparativae professore, una intimi status regis Galliarum condam consiliario ac ordinis legionis honoris officiale e primoribus recte defendit; nullum dari ens in natura, e quo aliquando utile in genus humanum non redundaret, effatum hoc veritati inniti, in contentionem vocari nequit. Non — ne ferrum magnes, aspectu vile squalidum nigrumque metalli oxydum utilissimam ingeniosissimamque magnetismi suscitavit doctrinam, et acus magneticae, quae nautarum in oceano patentissimo certissimus est dux constructionem post se traxit, unde commercium, cultura illi socia et di-

vitiae florentissimorum regnorum repeti debent. Nonne succinum, externis notis haud conspicuum, electricitatis doctrinae et ex illa dimanantium emolumentorum in artes et scientias ansam dedit, et horribilium tempestatum eludere furorem, fulmenque eripere Jovi docuit? Haec, hisque similia notissima fuere Schustero, ideo diligentissime studuit, bene gnarus: scientias arbori esse aequi-aprandas, cujus radices amarae, fructus vero dulcissimi sunt, quod vero percepit, alios docuit. In exponendorum expositione duo haec potissimum in Schustero mirifice me ceperunt, doctrina ipsa quam docebat, et modus, quo eam auditoribus inculcabat, zelo docendi interdum adeo abreptus fuit, ut praelectionibus suis interposita subito vociferatione, novellos tyrones attonitos fecerit, tantam autem in illos efformandos impendit solertiam, ut cum statae publicis in collegiis horae ad tam vastam rerum docendarum molem paucae viderentur, praelectiones suas vix non semper ultra defixum tempus protraxerit.

Conatibus suis literariis anno hocce tristis recordationis et vere fatali moram interponere debuit, dum numero atque bellandi arte formidabilis hostis plures angustae domus feliciter regnantis provincias, partemque Hungariae trans Danubium, igne ferroque vastasset, in cuius sequelam ex metu atque inopia inter incolas orta, accedentibus tempestatum et aeris atmosphaerici sinistris influxibus, typhus nervoso — putridus, contagiosus, inimico milite longe magis seviens, in nostra quoque urbe ortus, communem auxit calamitatem, qua durante Joannes Nepomucenus Schuster, sensu humanitatis a se nunquam alienae permotus, musis valedixit, aegrisque militibus in nosocomiis decumbentibus confestim gratis adstitit, et multorum morbos suffocando, eosdem ultro-neis regi et patriae praestandis servitiis, pares redidit, quo facto, altissimam suae majestatis sacratissimae complacentiam sibi meruit. Epidemia demum hac periculo plena in finem vergente, ipse typho gravissimo correp-

tus fuit, a quo collegarum suorum auxilio, favente supremo numine reductus est.

Bello, epidemiaeque sopitis, perseverantissimo studio raro sibi intercapedinem laboris indulgens, literas denno coluit, suoque professoris munere optimo cum fructu functus est usque 20 Aprilis anni 1810, quo professor chemiae et botanicae p. o. nominatus, et novae suae cathedrae 19 februarii 1811 admotus fuit.

Cathaedrae quam sibi conferri pridem in ardentissimis habuit votis, praepositus; chemiam, quae corporum in sua elementa resolutionem, et e suis elementis recombinationem seu illorum analysim et synthesim docet, ultra excolere, et ad majorem perfectionis gradum evehere nullo non tempore studuit. Hic ille annus est, qui collegae nostro amplissimum aperuit campum, omnem in patriam studium profundendi, nihil illi antiquius nihil potius fuit, quam nullam vel negligere vel praetervidere oportunitatem oblatam, discentium progressus et commoda promovendi, idcirco studia sua ad primos chemiae fontes extendit, ut noscat, quid veteres ad posteros transmissere, et ne impingat in lapidem, qui alteri poplite succidit, pervestigavit postmodum omnes illius progressus epochas, in novissima usque tempora.

Haec chemia, e qua jam innumera dimanarunt, et temporis decursu multo plura adhuc in genus humanum dimanabunt commoda, est doctrina moderna, illius progressus et inventa sunt totidem seculi nostri triumpho. Negari quidem nequit, jam antiquissimis temporibus aliquas hominibus nonnullis fuisse notiones chemicas, imo, e bibliis sacris intelligimus, longe ante Christum natum Tubalcaino et Moysi chemicas aliquas operationes notas exstitisse, cum prior ferrum varie tractare, alter plane vitulum aureum comburere noverit, notiones tamen hae fuerunt vagae, et liquide empiricae. Jacuit chemia in cunis usque seculum 17. quo plures nacta est cultores, alchemistarum etiam ope-

rationibus plures chemici processus innotuerunt, pluraque praeparata utilia casu detecta sunt, majora hinc chemia cepit incrementa, adeo; ut notionibus chemicis collectis, conditum fuerit systema medicinae, quod tanquam fundamentum scholae jatrochemicorum per integrum seculum in curandis morbis magnum habuit influxum. Seculo 18 floruit a Georgio Ernesto Stahl fundata chemia phlogistica, qui docuit, materiam inflammabilem phlogiston dictam, corporibus combustibilitatem tribuere, eamque sub combustionem fugari. Lavoisier e contra defendit, combustionem esse combinationem corporum combustibilium cum oxygenio sub evolutione ignis, condiditque chemiam antiphlogisticam, quae sub certis modificationibus basis modernae evasit chemiae.

Eodem seculo theoria affinitatum chemicarum, quae in vi illa radicatur, quae elementa corporum semet attrahunt, et quae clavim, et cardinale principium efficit pro omnibus chemicorum operationibus, plus quam antea coli et perfici cepit. Gallus Geoffroy fuit primus, qui tabellas affinitatum chemicarum sine facilitandarum et rectificandarum operationum chemicarum elaboravit, hanc theoriam affinitatum chemicarum cum initio seculi 19 Claude Louis Berthollet chemicus, una intimi status in Gallia consiliarius, emendavit, dilucidavit, auxit; ab hoc tempore celeres admirandosque fecit chemia progressus, ut aliam basim aliamque acciperet directionem. Duo inprimis viri jure optimo protochemicorum nomine ornandi nostro aevo chemiam ad illum, in quo nunc est, florem evexerunt. Humphry Davy anglus, qui experimentis apparatu galvanico institutis demonstravit, alcalia et terras esse metalla oxygenio combinata et Jacobus Berzelius svecus, qui theoriam electro-chemicam condidit, pondus relativum atomorum simplicium desinivit, a Richtero fundatam stoecheometriam dilucidavit, et hoc modo ad perfectionem analysium chemicarum plurimum contulit.

Nec temporis angustia, nec objectum dictionis hodiernae admittunt, chemiae historiam literariam fusius pertractare et biographiam virorum de illa bene meritorum exponere, aut in illius laudes longo sermone excurrere, id solum palam et publice enuncio; chemiam semper facem praetulisse, et nunc quoque praeferre pharmaciae, medicinae, technologiae, metallurgiae et oeconomiae rurali, hasque doctrinas et artes pari cum chemia passu progredi, et perfici. Chemia physicae socia, docet cum sumptuum parsimonia multas pharmaceutarum operationes perficere, accelerare, emendare; illustrat non paucas physiologicas et pathologicas doctrinas, absquae chemismo digestionis et respirationis processus et multorum pathologicorum productorum natura concipi non potest, faciliat metallorum e mineralibus eductionem, docet regere, animare, omnis generis machinas aerostaticas, et hydraulicas, earumque vim augere, denique docet pervestigare et emendare omnis generis solum, quo segetes ubertim et laete proveniant. Nonne, ut de aliis sileam, naves vaporariae, quas in obversum fli torrentium fluminum, eludendo ventorum, tempestatumque furorem, superbe procedentes, cum admiratione et oblectamento contemplamur, sui existentiam pro maxima parte chemiae debent? viro, qui amoenissimas utilisimasque has machinas super terga fluviorum velocissime natantes, ne dicam volantes in patria nostra induxit, perpetua competit laus et gloria. Quae e chemiae ultroneis progressibus generi humano immineant commoda aut pericula, nam luci umbra est socia, vaticinari nulli mortalium concessum est.

Cuncta haec de chemiae utilitate exposita, aliaque longe plura perbene nota fuerunt Joanni Nepomuceno Schuster, ideo illam incessanter excoluit, novit ille fata chemiae a primordio usque in nostra tempora; novit biographiam omium chemiae heroum, novit denique omnes chemicos processus ubicunque locorum detectos aut emendatos, usque ultimam vitae suae periodum, nam

quo magis consenuit, eo avidius legit, didicit, eoque majori zelo auditores suos instruxit.

Ut in chemia fausto cum successu imbuantur alumni, illa, quae in theoria proponi audiunt, experimentis probari videant, est necesse; nam chemiae studium experimentis illustratur, e quibus sibi alumni notiones chemicas soli abstrahere debent, docens subin explicanda ultro explicat, dilucidat, phaenomena sub experimentis obvia recensendo, horum causam, correlationem et nexum indicando.

Licet Joannes Schuster causa labefactatae suae valetudinis ultimis praecipua vitae suae annis praelectiones experimentis illustrare non semper potuerit, tamen ideo meritis illius nihil decedit, cum claritate in docendo defectum experimentorum compensare studuerit, admiranda ejus in gravissimis hujus doctrinae difficultatibus expediendis fuit facilitas, limatum in dijudicandis quibusvis chemicis processibus judicium, quam eximio successu ille chemiam docuerit, vel inde sat superque elucet, quod in concursu pro cathedra chemiae, cui ille annis 27 tanta cum laude praefuit, 8va octobris anni prioris celebrato, plures dominorum concurrentium eximiorum illius condami fuerint discipuli, denique Joannem Schuster cum fructu in universam patriam promanante chemiam docuisse, luce meridiana clarius evincunt varii generis fabricae a discipulis illius erectae, quarum nonnullae quidem naufragium subiverunt, quod cum primis moliminibus humanis passim evenire solet, quaedam tamen ad destinata sibi pervenerunt metam.

Pari diligentia, zelo et successu docuit botanicam usque 21 maji 1817. quo primus botanicae solius professor Carolus Constantinus Haberle introductus fuit, confirmant id multi patriae phytographi eximii, qui Schusteri fuerunt discipuli.

Anno eodem 1817 medicinam forensem exposuit supplens, anno vero 1821 a julii 27. pharmacologiam solam, professore demum Auer defuncto, ultra biennium

integrum scholasticum pathologiam quoque supplens docuit, usque 2dam decembris 1824.

Praeter recensitas entium naturae et doctrinarum medicarum cognitiones, etiam in multis aliis doctrinis admirandas prodidit intelligentias, eundem in philologia, geographia, historia patriae et universali, imo ipsa juris prudentia, et universa omnium harum scientiarum literatura non mediocriter versatum fuisse, vos doctores palestra hujus literariae, et vos academiae hungaricae membra dignissima identidem experiri potuistis et experti quoque estis, dum vel in amico colloquio, vel erudita concertatione cum Joanne Nepomuceno Schuster objecta antelatarum doctrinarum pertractaretis, dedit is tali occasione amplissimarum suarum cognitionum splendidissima specimina, huic meo asserto vos omnes, qui commercium cum illo fovebatis literarium, suffragari, ora vultusque vestri clare commonstrant.

Intermedio tempore, quo doctoris munere fungebatur, cuncta Pestini et Budae existentia pharmacopolia anno quovis egregia diligentia, et rigore laudabili pervestigavit, quapropter valetudinis ambarum urbium incolarum custos vigilque evasit.

Plura etiam hoc temporis intervallo opera utilissima elaboravit, et cum orbe erudito communicavit, sic:

Anno 1822 scripsit dissertationem de sacchari succedaneis in Lübecks oekonomischen - lexicon. 1816 Geschichte der Stadt Pesth. 1817 Dissertationem criticam in Serresii iter: egy magyarnak észrevételei a Marcel de Serres ausztriai birodalomban utazásai erant, in tudományos gyűjtemény Fascic. V.

1819 Orfila's Rettungs Verfahren bei Vergiftung und dem Scheintode, aus dem französischen übersezt und vermehrt.

1829 Pauli Kietaibel hydrographica ungaricae, praemissa auctoris vita.

Pseudonymae sunt dissertationes: 1819 de opio, 1827 de jodio, 1829 de ferro editae.

1829 sub ejus ductu prodierunt primae dissertationes publicae pharmaceuticae lingua hungarica: gyógyszeres értékezések, mellyeket Schuster János vezérlete alatt a' magyar nevéndék gyógyszeresek közönségesen elmondottak.

Plurimum tandem contulit ad taxam medicamentorum pro regno hungariae elaboratam, quae Budae typis typographiae regiae scientiarum universitatis anno 1829 in 4to trilingvis prodivit, nomenclaturam ungaricam pharmaceutico — chemicam plurimum ille in nominis sui gloriam elaboravit, denique:

1830 publicavit apparatusum microchemicum, quibusvis laboribus chemicis aptum, statuto ejusdem levissimo pretio.

Sileo verba facere de numerosis aliis elucubrationibus in sequelam benigna gratiosorum excelsi consilii regii intimatorum, et determinationum inclyti magistratus academici ac inclytae facultatis medicae per illum conceptis, quae typis vulgatae non sunt, licet illis essent dignissimae, verum pro perenni memoria et usu in tabulario regiae scientiarum universitatis reconduntur. Dies me ac verba deficerent auditores omnium ordinum lectissimi, si analyses omnis generis esculentorum et potulentorum, aquarum soteriarum, venenorum, et diversissimorum aliorum corporum, si renunciationes medico — forenses et operata commissionalia numerosissima, quae perfecit, aliaquae reliqua facta laudabilia Joannis Nepomuceni Schuster oratione specialius persequi pro dignitate in animum inducerem, quibus tamen eo magis supersedendum duxi, quod neminem vestrum adeo horum omnium inscium esse existimem, qui hodie primum ea sibi a me referri gestiret.

Sed non semper gravibus immersus fuit studiis, imo vero gravibus interdum jocosa et ridicula interponere amavit, et novit, nam illo non facile quis argutior inveniebatur. Ingenio quale in pictoribus et poetis deside-

ratur, quod in facilitate ideas novas formandi consistit, cum praeditus esset, et ob multas alias ingenii sui suavitates, in consortio (nam amicitiam intimam, quantum intellexi, cum nemine fovebat) perquam amabilem se reddere novit, multa dicendo ridicula, aut alios lepide perstringendo risum omnibus elicit jocosa dicta scite admodum in quoslibet jactare gnarus fuit, vultu voce, ipsoque genere sermonis cavillatorem mire factum semet probavit, atque ideo anima evasit omnis societatis.

Haec sunt acta et facta laudabilia Joannis Schuster, cui sors, ut monui, stirpis denegavit nobilitatem, qui ideo vastissima sua eruditione eam sibi marte proprio emeruit nobilitatem, quae nullis regnorum restringitur limitibus, nullisque temporum hominumque convellitur injuriis, sed per totum terrarum orbem sane cogitantibus dos est exoptatissima pretiosissima, intelligo nobilitatem intellectus hanc etiam apud nos, quemadmodum in aliis cultis europae provinciis discussa priorum temporum caligine condigne aestimari praesentia et multitudo omnis ordinis viro- rum, qui cineribus denati ultimum hodie praestiterunt honorem, abunde demonstrant.

His itaque praemissis brevi nunc sermone complecti juvabit, quae aliae adhuc morales dotes Joannem Nepomucenum Schuster ornaverint.

Habuit ille ad leges christianae doctrinae vitam suam ita ordinatam, ut ex illa pravi exempli nunquam in aliorum vel oculos incideret, vel aures dimanaret, novit is, qua indefessus naturae indagator, influxum, quam parte ex una physica necessitas, parte ex altera moralis libertas in actiones et cogitationes exerunt nostras, novit has duas potentias non raro sibi esse oppositas, ideo juxta sanctae religionis nostrae praecepta materialem spirituali subordinare studuit, summa etiam semper fuit in egenos misericordia et beneficentia, ut nihil illi fuerit beatius, quam beneficia multis conferre plurima, quanta denique in illo fuerit humanitas, et quam libenti animo quibusvis desideratum praestiterit adjutorium, id opinor usque adeo in comperto est, ut prolixiori sermone demonstrari haud egeat. Quae cum ita sint, ceteras quoque virtutes ex hactenus in medium allatis suapte natura profluentes in illo perinde obtinuisse, clara consecutione conficitur.

His dotibus, hac naturae universae et artis medicae peritia in reipublicae literariae decus et regiae scien-

tiarum universitatis hungaricae ornamentum et gloriam annos 36 inter nos exegit Joannes Nepomucenus Schuster longiori vita dignus, quam forsitan ad seram usque aetatem erat prolaturus, si a docendi munere quam longissime abfuisset. Dum enim vitam sedentariam, quam naturae studium, officiique genus poscebant, multos cole-ret per annos, et vaporibus omnis generis corporum analysi subjectorum saepe et interdum diu exponeretur, integram antea valetudinem, pedetentim labescere persensit, autumnino inprimis et verno tempore catarrho et tussi crebrius vexatus fuit, quin ut debuisset, a praelectionibus desisteret, aut valetudinem suam serio curaret, incunabula tamen illius morbi, cui postmodum succubuit, cadunt in annum trissistimae recordationis 1831. quo cholera epidemica ex oriente per universam fere europam propagata, quemadmodum in tota patria, ita in hac etiam urbe maximas edidit strages, quarum reminiscencia nobis omnibus auditores lectis-simi non potest non esse lugubris, cum vix ullus sit nostrum, qui unum, aut plures sibi cognatos vel amicos hoc morbo ereptos non lugeret, durante morbo hoc pe-riculosissimo e supposito contagioso, dum ulteriorem illius extensionem chloreti calcis vaporibus praepedire studu-isset, iisdem cubilia, in quibus hoc morbo correpti decu-buerunt, aut perierunt, inpregnando, sui interitus jecit fundamenta, nam a catharris, quibus saepe obnoxius fuit, latentia in pulmonibus tuberculorum germina suc-crevere, quae ab inspiratis vaporibus chloreti calcis inflammationem subiverunt chronicam, collegae ejus no-xium vaporum horum influxum in illius organa respi-rationis dum observassent, et apud alios etiam vi-ce una saepius experti fuissent, a coepta operatione eundem identidem dehortati sunt, sed prohi dolor! nec monita andivit, nec consilium admisit, verum senten-tiae suae tenax, vapores chloreti calcis extricare, et inspirare continuavit, tanquam nullus major homini esset hostis, quam ipse sibi, et non tam homo homini lupus sit, ut in proverbio est, quam sibi, hoc est sui sibi plerumque mali auctor sit, bene ideo et apposite hispani inter quotidianas suas habent preces: adver-sus nos o Deus! nos tuere; stimulo itaque pul-monibus inimico perdurante, ipsa etiam pulmonum per-stitit affectio, quae anno insequente 1832 catarrho epi-demico maligno, vulgo Grippe nuncupato, multum ex-asperata fuit, adeo ut tuberculorum inflammationem ex-

ceperit pulmonum suppuratio, jam nunc, dum ancipiti vitae periculo pressus esset, ad imminetia vitae discrimina propulsanda, expertissimi illius collegae in consilium vocati sunt, qui cogitationes omnes ad illum salvandum contulerunt, et omnes collegerunt vires, omnemque artis soteriae morbo objecerunt vim ac potestatem, neque id quidem casso labore, nam hostis arti cedere coactus longas dedit inducias, quae multo longiores fuissent, si monitis collegarum suorum saluberimis obsequendo, cathedrae suae valedixisset; ast sicut Archimedes syracusanus delineatione figurarum suarum in arena per irruentem in conclave illius militem romanum semet abstrahere non permisit, qua propter detestabili crudelitate barbari hujus ictibus peremptus est, ita Joannes Schuster ob morbum suum, sangvinario milite haud mitiorem, a doctione non destitit, qua continuata processus inflammationis et suppurationis in dies augetur et exasperatur in tantum; ut sangvini per pulmones multum vitiatos circuitus liber non amplius concederetur ideo tussis exasperatur, respiratio anxiosa et laboriosa, redditur, et sensus suffocationis oboritur, augetur, accedit et id, quod sangvis ob turbatum per pulmones circuitum, normales, quas in illis subira debuisset mutationes, non subiverit, ob catervam horum malorum aeger collega insolitum hactenus ac subitum virium lapsum entire coepit, quem filii sui optimae spei juvenis praegressa mors multum adauxit, nihil nunc relictum est intentatum, quod ad tam atrox mali genus profligandum, omnium seculorum experientia medica suppetitavit, sed proh dolor! tanta sese morbi vis in singula poene momenta exerebat, cui ne leniendae quidem probatissima quaeque praesidia adhibita fuere paria.

Qua propter dum omnem spem ab interitu semet salvandi undique succisam esse cognosceret, et ideo nihil amplius jam speraret nihilque metueret, 19 maji anni proxime praeteriti hora 5^a matutina anno aetatis suae 61 diem obiit supremum, omnium in animis desiderio sui, illoque dubio relicto, an diligentia, an eruditio fuerit major, cum utraque fuerit maximus.

Amisit Rex angustissimus et optimus in Joanne Nepomucepo Schuster fidelem subditum, qui se ex toto altissimis devovit servitiis, amisit chara Patria civem utilissimum, qui lumen scientiarum spargendo ignorantiae tenebras confecit, amisistis vos doctores regiae

scientiarum universitatis hujus, et vos membra academiae hungaricae dignissima in collega institutorum vestrorum nobilissimum ornamentum, nam pacui me hercle sunt eruditi, Joanni Nepomuceno Schuster pares, amisistis vos medicinae et pharmaciae alumni magistrum incomparabilem, amisistis denique vos egeni benefactorem generosum, hinc tot lachrymae funeri clarissimi viri undique, sed imprimis a discipulis ejus erant impensae, dum 21 maji inclinato in vespem die, humeris discipulorum in remotum delatus esset cimiterium.

Amisimus itaque S. P. Q. A. jactura irreparabili Joannem Nepomucenum Schuster, qui ingenii acumine omni-que virtutum genere eminuit, amisimus, ne dignitates a dignissimo gestas tacitus praeteream, medicinae olim doctorem, deinceps facultatis medicae proseniorem, ac semel iterumque decanum, et denique almae hujus universitatis rectorem emeritum, quibus omnibus reipublicae nostrae literariae munitis ita praefuit, ut prudentiae in rebus gerendis, ac modestiae in honorum usurpatione laudem apud omnes aequos censores meruerit maximam. Idcirco cum fatali moriendi lege a nobis in perpetuum sit avulsus, superest ut ei, qui in vivis de nostra republica literaria, singulisque nostrum tam bene meritus est, supersites justum debitumque pietatis et meritorum positorum gratiae recognitionis reddamus pignus, eique suprema pietatis officia persolvamus, quod pro tenuitate virium mearum praestare adnissus sum.

Accipe igitur desideratissime Joannes Nepomucene! qui in vivis omnia laudum declinasti lenocinia, ultima haec collegae condam tui pia officia, dolorem tuo ex obitu animo nostro infixum tuique desiderium, ut in humanis rebus usuvenit, temporis longinquitas aliquando leniet, ast memoriam tui nostris in animis nulla diuturnitas aevi, nulla unquam temporum obliterabit injuria. Superest ut extremum illud tibi ingeminemus: quiesce in pace nos te ordine, quo naturae auctor permisit, sequemur; dixi.

TYPIS TRATTNER-KÁROLYIANIS